

speciæ cognitæ; inde autem fit ut in rebus physicis multa confusio sæpe oriatur. Quæ cum ita sint, jam evidens est in physica theoretica confidenter ostendendas non esse causas ultimas, sed satis esse proximas, vel remotas quæ clare innoscere possunt: & quidem ulterior cognitio exigua admodum esset utilitatis. Si enim deinceps leges demonstraverit physicus, si effectus gravitatis æstimare & ad calculum revocare noverit, eadem in humanam societatem redundat utilitas, etiam si gravitatis causa nos lateat. Itaque probe tenendum est eum esse debere melioris physicæ scopum, ut nempe varii effectus probe observentur, accurate æstimentur, & ad nostram utilitatem transferantur. Ut autem hunc scopum pro mea tenuitate attingam, singulis physices capitibus in varios articulos juxta methodi regulas opportune dividendis, appendicem adjungam de unicuiusque capituli utilitate, vel in artibus vel in aliis etiam disciplinis.

C A P U T I I.

De regulis philosophandi.

Quatuor primariis regulis comprehendit solet universa philosophandi ratio, quarum quidem regulas utpote in rebus physicis, utilissimas fufius explicabimus.